



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

19. S. Josephus Nutritius Salvatoris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Tantus fuit in Deiparam amore, ut nemo fuerit è Virginis amatoribus, qui tantum Archangelum superaret amandô. Hinc continuus Mariæ comes, & socius.

*Instructio meritoria.*

Deprecemur nostras irreverentias, & in harum compensationem persolvamus novies Canticum Mariæ : *Magnificat.* Addendo & illum Psalmum Eucharisticum : *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ &c.* Multum offendimus? Mitigemus devotis precibûs. Suscipiet S. Gabriel. Acceptabit & Maria.

Festum S. Josephi, Nutritii Salvatoris, Sponsi B. V. Mariæ.

*EXHORTATIUNCULA I.*

**M**oriendum est! Quando? & Ubi? An benè, an malè? Prorsùs incertum. Sed non diffidamus, dilecte fili! ecce! bonæ mortis patronos vobis sisto potentissimos Jesum, Mariam, Josephum. Horum amor, & cultus, ô quot jam mortem attulit suavissimam! non negabitur nobis, si fideles fuerimus in amando Jesum, Mariam, & S. Josephum.

M 3

in-

*Instructio meritoria.*

Fidelitatem hanc nostram probet firmum amoris pactum , & propositum, nunquam eundi in lectum , nisi præmissis Lytaniis Lauretanis , vel de die recitationis. Hodie inchoemus , & per Dei gratiam continuemus. Fatebimur in die iræ , quām dulce ! quām acceptabile fuit , coluisse , & dilexisse Jesum , Mariam , & Josephum.

## II.

**F**illi mi ! hodie vos alloquor verbis Bernardi de Busto , nos consolantis : „ Qui aliquid à Deo vult obtainere , accipiat B. Josephum pro Advocate , & omnia impetrabit . Overba consolationis ! Quis nostras numerabit miseras , & necessitates ? Deficit corpus ! patitur anima ! & meritò : quare enim non veneramur , & invocamus S. Josephi merita ? Potest , & vult succurrere : quid moratur ?

*Instructio meritoria.*

Detestemur nostram desidiam , & hodie compensemus eam *officio minori* dę SS. Josepho , & propter insignem il-

lius

lius gloriam in cœlo , addamus & Can-  
ticum *Benedicite. Vox hæc vox S. Josepho*  
*erit amabilissima !*

## III.

**S.** Josephus moritur in brachiis Jesu,  
& Mariæ. O mors verè pretiosa !  
fili ! & nos ita mori optamus ? Ita vi-  
vamus. Humiliemus nos in omnibus !  
Jesum in corde foveamus ! Mariam co-  
lamus ! & non elongabitur à lectulo  
mortis morientium Tutor S. Josephus.

*Instructio meritoria.*

Prima surgentis , & ultima obdormi-  
entis sint verba : *Jesu ! Maria , & Jo-  
seph ! in vestras manus commendo cor-  
pus , & animam meam.* Praxis ò quām  
utilis ! Ut stabiliamus , cuilibet personæ  
hodie unum , & suum proprium offi-  
cium offeramus : Jesu de suo SS. No-  
mine : Josepho de suo munere : Mariæ  
de Immaculata conceptione. Me unō  
exaltabitur hoc Trinum.